

futurum est, si vel te vivo, vel post tuam mortem, aut huic parti quem alienas; aut alteri quam tibi relinquis, bellum à barbaris nationibus inferatur? Quo robore militum, quibus copijs occurremus? Vix nunc totius Imperij viribus possumus, tunc poterimus? An perpetuo membrum hoc cum illo in concordia erit? Ut reor, nec esse poterit, quum Roma dominari velit, nolit pars illa servire.

Quin & te vivo breve intra tempus, revocatis veteribus praesidijs, suffectis novis te in tuum regnum profecto & longè agente hic altero dominante, nonne omnia nova, id est diversa atq; adversa erunt?

Regno ferè inter duos fratres diviso, protinus & populorum animi dividuntur, & prius à seipsis, quàm ab externis hostibus bellum auspiciantur.

Idem